



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Nicephorvs Mart. 16. Februarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

crudeliorem se fuisse: illam corpus peremisse, sese animi latronem esse. Igitur funeri affusus non prius à precibus lacrimisque, quam à morte defunctus surrexit. Et narravit hic jam se ad ignea & tenebris infesta loca abductum poenas ultimas daturum fuisse, nisi Ephebus intercessisset candore insignis, lacrimisque donatum SEVERI tantisper nuntiasset, dum noxas animi expiaret. Expiavit igitur has, & septimo post die feliciter obiit. Quid hinc illi, quos morturi non è vineâ, sed vini tabernâ vocant, & sæpe heu! frustra vocant, qui tamen ab inferis revocare animos non possunt, sequi possunt? Ex *Dialog. S. Greg. l. 1. c. 12.*

## S. NICEPHORVS MART.

16. Februarii.

**N**ICEPHORVM Martyrè dicimus. Si iræ non cedis, Lector, martyrem alterum te dicimus. Fuit NICEPHORO familiaritas cum Sapritio Sacerdote à teneris contracta. Ea cum pueris crescere, adolescere cum adolescentibus visa, demum præter spem omnium in fatale odium vertit. NICEPHORVS quòd minus fellis animo gerebat, & majestati Sacerdotum oppidò faveret, de refarciendâ amicitia cogitare, eaque super re per internuntios agere. Sed aures Sapritii ira obsessas tenebat. Interea  
gravis

gravis in Christianos tempestas Antiochia exorta turbine suo etiam Sapritium involvit. Nihil tamen in tormentis, aut dixit, aut fecit Christiano indignum. Iamque ad palmam vocabatur, cum semel iterumque NICEPHORVS ad genua euntis accidit, lacrimansque veniam rogat. daret hanc moriturus pro Christo, si non sibi, certe ipsi Christo mortuo inter preces pro hostibus fusas. Audiebat hæc Sapritius, neque tamen vel verbis, vel oculo dignatus NICEPHORVM est. Ergo non placuit cælo palmam illi dare, qui se ipsum nollet triumphare. Cervicem præbere iussus, mortem turpi vitam redimit, & Christi Sacerdos facere, eheu! Iovi promittit, nequicquam per omnes Superos obtestante NICEPHORO, non referret, quem cælo jam posuisset pedem, non dimitteret, quam jam jamprehendisset palmam. Ne tamen gratis licet gladium strinxisset, accurrit ipse NICEPHORVS, & succedaneam victimam se obtulit, quid multis? in aliena præmia involavit. *Ex Metaphr.*

S. IVLIANA V. M. 16. Febr.

Pulcherrimam formam IVLIANA pulcherrime est usa. In hac enim velut speculo opificem hujus DEVM coepit intueri. Christo igitur addictam parentes Eleusio desponderunt, viro nobili  
&